

16



MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
 Quorum una
DIARRHÆA BILIOSA;
 Alter
ALVO ADSTRICTA
AFFLIGITUR;

QVAM

Divino adjuvante Numine

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI VIRI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ poliatri, & Medicinæ

ac Botanices Professoris Ordinarii, ac p. t.


Rectoris Magnifici,

Publicè ventilandam proponit

JOHANNES LUDOVICVS MAGIRVS

Hadamar: Nassovicus.

Ad diem 20. Iunij vet. styl. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
 Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK,
 In Academ. Typograph. A°. 1649.



V I R O

Amplissimo, & Prudentissimo,

D. EBERWINO KOCHIO,
Comitatus Dillenbur-
gensis quæstori & Præ-
tori vigilantissimo, Pa-
renti suo, filiali observã-
tia in æternum colen-
do,

Hanc Medicam disputationem

Submissè Offert

JOHANN LVDVVICH MAGIRVS,

MEDICATIO FOEMINÆ;
DIARRHÆA BILIOSA
FATIGATÆ.

I.

Fœmina triginta annorum, biliosa, multo alio, porro, aliis-
que biliosis alimentis, aliquamdiu usa, incidit in copiosum
& frequentem alvi secessum; quo multa liquida, biliosa, cro-
cea, & rufa, jam per multos dies cum dolore satis magno ex-
cernit; unde jam non tantum corporis lassitudo, sed magna e-
tiam extenuatio egræ nostræ est orta.

II.

Afficiuntur in hac fœminâ intestina: ut frequens ille alvi
secessus, cum dolore conjunctus, evidenter docet: nec non to-
tus corporis habitus; quod ex ejus extenuatione patet.

III.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies intestinorum bi-
liosa & terosa, quæ, per inferiora frequentem & diuturnam
biliosæ & acris materiæ excretionem, cum magno dolore
conjunctam, excitans, *Diarrhæa biliosa* appellatur.

IV.

Causa procatartica hujus morbi est frequens biliosorum ali-
mentorum usus; quo multi humores biliosi in corpore, & præ-
sertim in vasis, circa intestina existentibus, geniti, *antecedentem*
huic morbo præbuerunt causam: ea verò ex diutinâ mo-
râ magnam acrimoniam adipiscens, illâque intestina velli-
cans, & poros eorum nimium aperiens, *continens* hujus mor-
bi & symptomatum est causa.

V.

Ex vellicatione enim illâ motus talis nervo sextæ con-
jugationis, intestinis implantato, imprimitur, ut ille, ad cere-
brum delatus, illos in eo aperiat poros, qui in fibras intestino-

rum obliquè descendentes spectant, quò à spiritibus, ex cerebro in obliquas illas fibras copiose fluentibus, easque contrahentibus, intestina versus inferiora ita contrahuntur, ut biliosa illa ac acris serosaque materia excrementitia, ibi stagnans & genita, vel à toto corpore per intestinorum poros, nimium hic apertos, eò à corde per sanguinis circulationem propulsa, magno cum dolore, ab excrementorum intestina rodentium acrimoniâ orto, subinde frequenterque per podicem ejiciatur.

VI.

Et quoniam, cum materia illa excrementitia, etiam humores ac spiritus utiles, magnâ copiâ, jam per aliquot septimanas excernuntur, hinc corporis lassitudo, ob spiritus animales hinc deficientes, atque ejus extenuatio, propter justum alimenti hinc defectum, ægram nostram tenet.

VII.

Metus est, ne hic morbus in dysenteriam, vel corporis consumptionem lethalem abeat: ideoque tempestive curatio seria aggreudienda.

VIII.

Eaque consistet in pravorum humorum evacuatione & intemperiei per contraria correctione.

IX.

Primo itaque præscribatur tale apozema

℞. rad. cichorij vnc. s. taraxaci, symphyti,
feniculi, petroselini. tormentilla an. drag. ij.

Herb. acetosa, portulaca, plantag. an M. j.

Sem. 4. frigidor. major. an. drag. ij.

anisi, feniculi an drag. j.

hordei rosti vnc. j. s.

decoq. in aq. com. ad lib. j. in Colatura

dissolve syr. cydoniorum de cichorio simpl. an. vnc. j.

Misce, F. Apozema, de quo sumat haustum bis in die, mane & vesperi.

Porro

Porro, ubi eo uno atque altero die usa fuerit, purgetur hoc medicamento:

Rx. mirob. alanz. citrin. drag. ij.

rabarb. drag. j. spicæ scrup. s.

Infunde per noctem in aq. cichor. & acetos. an q. s.

Rad drag. iij. mane fortissimè expessionè adde

syr. ex infus. ros. de succo cichorij an. drag. s.

Misce. F. haustus, manè exhibendus.

Vesperè post purgationem sumat lib. s. lactis amydalati cum drag. iij. syr. de papavere.

Ubi malum perseverat purgetur drag. j. pulveris rabarb. dissoluti in aq. cichor. q. s. cui adde syr. cydoneor. vnc. j. & vesperè post purgationem exhibeantur laudani Opiati gra. iv.

X.

Ubi materia ita evacuata fuerit, ad magis adstringentia perveniendum, atque ideò utatur hoc condito:

Rx. conserv. rosar. antiq. drag. vj.

pulv. rosar. rubr. drag. j. coralli rubr. subtil. pulv. drag. s.

boli armene vere scrup. ij. rob. de ribes vnc. s.

cum syr. myrtillor. q. s. F. Conditum, quod exhibeatur quatuor dosibus, vel exhibeatur subinde quantitas castanea majoris.

Ante cibum etiam sumat diacydonii, sin. spec. drag. j. & venter mane & vesperè inungatur oleo myrtin. cydon. & rosar. omphacino inter se mixtis.

XI.

In *dieta* aër ad frigidum accedat. Cibus sit facilis digestionis, & adstrictoria facultate præditus, ex carnibus avium montanarum, vitulinis, vervecinis, succo arantiorum & limonum conditus, piscibus saxatilibus, panatella ex tenui cerevisia cum pane parum tosto. Potus sit vinum rubellum & cerevisia tenuior bene defecata. Corpus quiescat, somnus sit longior. Fugiat vehementiores animi affectus.

MEDI-



MEDICATIO VIRI
ALVO ADSTRICTA
VEXATI.

I.

Vir triginta annorum, temperamento melancholicus, jam à multis annis, alvum adstrictam habet; ita ut non nisi tertio vel quarto quoque die excrementa ficciora ac duriora, & stercoris caprini, figurâ rotundâ, similia, excernat. Perpetuo ferè dolore capitis torquetur, & ventriculi coctione difficili ac cardialgia: quæ nonnihil levantur, ubi alvus nonnihil est laxior. Sæpe emittit ructus acidos, & cibi in acidum nidorem convertuntur, unde sæpe ipsi acidorum oritur vomitus.

II.

Afficiuntur in hoc ægro intestina, quod ex tarda eorum evacuatione: item ventriculus, quod ex difficili coctione; item caput, quod ex perpetuo dolore patet.

III.

Morbus qui eum torquet, est intemperies ventriculi & intestinorum sicca & acida atque adstrictoria, sive vitriolacea & aluminosa, quæ tardam alvi excretionem acidamque cibi corruptelam inducens, *alvus adstricta* nuncupatur.

IV:

Causa continens adstrictionis alvi est succus quidam acidus & acerbus, ex acidis ructibus & evomitionibus hic sese manifestans, qui circa ventriculum & intestina existens, ibique propter melancholicum eorum temperamentum genitus, acerbitate suâ fibras eorum oblique descendentes, quibus alvi excretio per spiritus in eas influentes perficitur, claudit. Dum itaque feces diutius in intestinis hærent, ex diutina illa mora dissipantur

tur

tur ex iis omnis humiditas, atque hinc fiunt siccae, eoque per eorum motum distractae, & in globulos, instar stercoris caprini, formatae, tertio quoque die, propter magnam illam fibrarum oblique descendentium adstrictionem, tandem ab earum magna copiâ & acrimonia superatâ, excernuntur.

V.

Quia vero, ex diuturna illa faecum in intestinis morâ, multae earum partes acres & faeculentae, tum ad ventriculum per exhalationem; tum ad caput, per ingressum in venas mesaraicas, & inde in cor & porro ad cerebri membranas per translationem deferuntur, hinc oritur difficilis illa in ægro nostro ventriculi concoctio, cardialgia, ac acidorum vomitus; nec non capitis dolor: quae omnia levantur, ubi faeculentae illae partes, ob alvum laxiorem, interdum copiosius evacuantur.

VI.

Metus est, ne hic morbus viscerum abdominis magnas inducat obstructions, earumque coctiones magnopere lædat, ac symptomata jam praesentia valde augendo, indies molestior evadat, aliosque graves morbos pariat.

VII.

Atque ideo diligenti Curatione, quantum poterit, est tollendus vel imminuendus, per intemperiei intestinorum correctionem, & acidæ acerbæque istius materiae, per blanda medicamenta, attemperationem & evacuationem.

VIII.

Primo itaque utatur cibus alvum lubricantibus, humectantibus, & acidos acerbosque humores temperantibus, ac detergentibus; ut atriplice, malva, spinachia, blito, oleo, & butyro, item passulis, ficibus, beta, & brassica.

Utatur etiam subinde clysteribus lenibus & humectantibus, viter clysteres acres & fortes: His enim intestina ita indurantur & occalescunt, ut illa postea nihil sponte, & sine clysterum auxilio, excernant,

Vtilis

Utilis etiam est ad eundem finem feri lactis, cum pauxillo
mellis, usus.

I X.

Inter medicamenta utilissima sunt pruna laxativa N^o. qua-
tuor vel quinque; vel ex massa aloes, cui nonnihil sp. hieræ
est additum, quantitatem avellanæ, immediatè ante prandium
vel cœnam, deglutire.

Vel simili modo utatur hac massa pillul.

Rx. aloës lucidæ unc. s.

ammoniæ purissimi drag. j.

sp. diacarthami dragm. j.

tartari vitriolati drag. s.

omnia pulveri sata incorporentur cum syr. ros. sol. q. s.

in massam, ad pillulas formandas aptam, quæ

illigetur vesicæ sive ol. amygdal. dulc.

illita & pixidi lignea includatur. Sumat horâ unâ

ante cœnam pil. j. vel ij. ad majoris avellanæ

magnitudinem.

X.

Exercitiis mediocribus sese exerceat: & servet corporis sta-
tum statarium potius, quam sedentarium. Somnus sit longior,
vitet tristitiam.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





VIII.
 mes sæpe per medicamenta assumpta
 pœnitus etiam dissolvi, quemadmo-
 vitreæ inclusi, & fimo equino obru-
 c sæpe fit, ut quamvis vermes adfue-
 rnantur.

IX.
 exhibeatur infanti hoc purgans, cum
 cra dragm. j.

MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
 Quorum una
DIARRHÆA BILIOSA;
 Alter
ALVO ADSTRICTA

AFFLIGITUR;
QVAM
 Divino adjuvante Numine

SUB PRÆSIDIO
 CLARISSIMI VIRI

D. HENRICI REGII,
 Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
 ac Botanices Professoris Ordinarii, ac p. t.

Rectoris Magnifici,
Publicè ventilandam proponit

JOHANNES LUDOVICVS MAGIRVS
 Hadamar: Nassovicus.

Ad diem 20. Junij vet. styl. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
 Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK,
 In Academ. Typograph. A°. 1649.

